



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

354. Feria 5. Dominica 2. Adventûs. De quærenda conformatione cum
Verbo in carne patiente & glorioso.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CCCLIV.

Feria 5. Domin. 2. Adventus.

De quaerenda conformatione cum Verbo
in carne patiente & glorioso

Aspiciam Dominum ut ignem splendidis-
simum & efficacissimum, à quo possunt
omnes mei defectus & imperfectiones absumi.
Præram in ipsius similitudinem transformari.

Cons 1. Quomodo D. JESVS fuerit simul
patiens & gloriosus Gloriosus propter visio-
nem Dei; & Patiens, quia in signo primo natu-
ram humanam accepit. 2. Naturam huma-
nam beatificavit. 3. Beatitatem miraculose
cohibuit, ne redundaret in corpus, atque ita
loquit August. lib. de bap. Parv. *Facto miraculo
non habuit necessitatem moriendi.*

Cons 2. Ut hanc conformationem & simili-
tudinem Domini assequar, postulabo exuriam
hoc igne omnem dissimilitudinem Dei, vitia,
imperfectiones, inordinatas passiones, sen-
sum ad terrena propensionem, omnem ani-
mi impatientiam ac perurbationem. Hæc in-
unum fuscem collecta, suspirijs & gemitibus
ac contritione cordis in illum ignem, ut con-
sumatur, projiciam. 2. Postulabo ardentis-
simis suspirijs, ut induar similitudinem Sanctis-
sime Divinitatis. 1. Puritate, quâ levissimos
quoque defectus fugiam. 2. Sapientiâ, qua

636 *Feria 5. Domin. 2. Advent.*

eius voluntatem in omnibus ad obtemperandum agnoscam. 3. Charitate, quâ ipsum ut amantissimum Patrem diligam. 4. Amore erga proximos & inimicos propter eum, ut sinu cordis mei excipiam universos. 5. Tranquillitate, ut animum in omnibus eventibus pacatum habeam. 3. Conformabo me ardentissimis desiderijs Humanitati Christi: In humilitate, quâ me despiciam, in obedientia, quâ me in omnibus propter eum omnibus submittam, Patientiâ, qua omnia adversa sustineam, Misericordia, qua omnium necessitatibus compatiar, zelo, quo Domini mei honorem desiderem. 4. Rogabo Dominum, ut à me omnia impedimenta removeat, interna imperfectionum, externa inutilium occupationum, quæ me à perfectione & unione cum ipso retardare possunt.

MEDITATIO CCCLV.

Feria 6. Domin. 2. Adventus.

*De dilectione conformi dilectione Verbi
in carne viventis ac morientis.*

Aspiciam Dominum omnes diligentem, & omnium salutem cupientem, & expectantem à me, ut, quæ ille diligit, amem, & quæ odio habet, oderim. Petam eum assequi.

Conf. 1. Quanta fuerit D. IESU à primo instanti conceptionis & assumptæ mortalis
vita